

firmarunt. Duo tamen Carthaginensia concilia, alterum an. 523, alterum anno 534 non diocesanis episcopis, sed primatibus tantum jus in monasteria asseruerunt. Inter Romanos pontifices S. Gregorius M. Clasesense primum an. 598 cœnobium, deinde an. 601 in Romana synodo omnia saltem Italiae monasteria ab episcoporum jure subtraxit. Gregorii exemplum secuti sunt Honorius I, qui an. 628, Bobiense; Joannes IV, qui an. 641, duo Luxoviensia; Adeodatus qui an. 675, Turonense S. Martini; Zacharias, qui an. 751, Fuldense cœnobium ab episcopi jurisdictione exemit, et solius Apostolicæ Sedis juribus obnoxium esse voluit. Quæ quidem exempla, aliaque hanc in rem a Francisco Antonio Zaccaria in utroque Antifebronio Latino, et Italico proposita ostendunt, nihil falsius, nihil absurdius fingi posse, quam quod Febronius alique ejus sectatores efficiunt, monachorum exemptiones ab Isidorianis Decretalibus fuisse profectas (86).

(6. Hæc porro exempta monasteria duorum generum erant, alia *ingenua*, quæ a natalibus suis per conditores suos a jure communi erepta fuerant; alia *libera*, quæ, procedente tempore, eandem prærogativam obtinuerant. Vide Mabillonium, præfat. in sæc. VI *Ann. Ben.*, n. 30.

(7. Utinam vero hæc libertatis privilegii rapacitati quorundam abbatum sæcularium, qui omnia monasterii sibi commendati bona in usus suos demum convertebant, satis provisum fuisset. Hinc tandem effectum, ut sæculo IX (Hilduino abbate S. Dionysii exemplum præbente) bonorum monasterialium partitio inter abbatem et cæteros monasterii monachos decreta fuerit. Sic Franco Leodicensis episcopus, idemque Laubiensis abbas ita cum suis monachis bona partitus est, «ut medietas abbatia fratribus inibi regulariter militantibus in usu communi deserviret; aliam episcopus sibi, et militantibus manciparet.» Ad eundem Mabillonium, Præf. in sæc. IV *Ann. Ben.*, n. 200.

(8. Ante omnem ordinis Benedictini ex variis monasteriis in unum corpus redacti institutionem, quæ Cluniacensibus mona-

steriis debetur, cœpta quidem sub Odone abbate, perfecta autem sub sancto Hugone abbate sexto, ea fuit in nobilioribus monasteriis disciplina ut quælibet minores sub se haberent colonias, quæ cellæ, præposituræ, obedientiæ, prioratus, monasteriola et monasteria passim, imo et abbatia aliquando vocabantur. Erant in illis cellis præpositi, seu decani ad nutum abbatis, qui principi monasterio præerat, amovendi: et si qui abbates illis præficiantur, non nisi habito primi abbatis consensu eorum fiebat electio, ab eodem postea confirmanda. Qui in cellis illis residebant, in singulos annos certum censum principi monasterio referebant, certisque diebus ad conventum indictum adesse tenebantur. Hæc Mabillonius, præf. in sæc. V *Ann. Ben.*, n. 53, ubi et hujus institutionis causas affert.

(9. Ubi vero magnum quoddam corpus plurium monasteriorum conflatum fuit, quod ordinem appellant, alii tamen congregationem vocant, quemadmodum apud nos nobilissima Casinensis congregatio sub uno abbate generali, capitula item generalia celebrari necesse fuit. Eorum usus sæculo XII vulgaris fuit. Ideam tamen quandam, et specimen exhibuerat synodus Aquisgranensis anni 817 ex universis pene Benedictini ordinis abbatibus composita, in qua utilia de rebus monasticis statuta condita sunt. Apud Casinates: «His item temporibus, ut scribit Leo Hostiensis, *Chron.* l. 1, c. 32, mos erat, ut pridie Kal. Septembris conventus ad hunc locum fieret, una cum præpositis suis universorum hujus cœnobii in circuitu monachorum, docendi ab abbate, quid facere, quid cavere, quidve corrigere, seu qualiter sub Dei presentia, et timore cum regulari observatione vivere deberent. Sequenti vero die ordinabantur, et describebantur, atque destinabantur, in obedientias, per singulas, prout opportunum erat, provincias.»

(10. Cætera recentioris ævi ad monachos æque, atque ad omnes regulares ordines postea a sanctissimis viris institutos, quære apud auctorem nostrum verb. *CONVENTUS* et *REGULARES*.

MONETA, MONETARIUS.

SUMMARIUM.

1. Moneta unde dicta? — 2. Moneta confunditur cum denario, nummo, et pecunia. Denarius unde dictus? — 3. Nummus unde dictus? — 4. Pecunia unde dicta? — 5. Moneta valor est duplex, scilicet intrinsecus, seu naturalis, et extrinsecus, seu legalis, et qualis sit uterque? — 6. Ad justitiam causæ monetæ tria omnino requiruntur et assignantur. — 7. Jus monetam cudendi est de regalibus, unde soli principes supremi possunt de jure monetam cudere. — 8. Alii autem inferiores non nisi ex speciali privilegio id facere possunt. — 9. Princeps mutationem valoris, sive intrinseci, sive extrinseci monetarum facere non potest absque consensu communitatis, vel saltem potioris ejus partis, ex-

(86) De hujusmodi exemptione monasteriorum ordinatius et fusius modo historico agemus, sub v. *REGULARES*, art. 2. (Editores Casinenses.)

cepto casu publicæ ac manifestæ necessitatis. — 10. Consensus majoris partis magnatum regni habetur pro consensu omnium. — 11. Ob evidentem causam, seu necessitatem princeps monetæ mutationem facere potest, etiam non requisito populi consensu, dummodo cessante necessitate populo damna compenset. — 12. Cæterum gravissime peccat princeps, seu magistratus, si ob commodum suum, et absque publica necessitate monetarum mutationem introducat. — 13. Si monetæ valor mutetur intrinsece, solutio fieri debet ex monetâ antiqua, quæ currebat tempore debiti contracti, si inveniatur: Si vero non inveniatur antiqua, debet fieri ad illius æstimationem. — 14. Et hoc sive monetæ valor intrinsecus fuerit auctus, sive immi-

nutus. — 15. Nisi tamen in alterius monetæ solutione fuerit legitime præscriptum. — 16. Si monetæ valor mutetur extrinsece, solutio fieri debet secundum ejusdem valoris de tempore solutionis. — 17. Si tamen monetâ sit a principio taxata ad rationem tot librarum, tunc in solutione attendendus est valor taxatus. — 18. Quando monetæ species certo numero solvendæ sunt in pactum deductæ, tunc tot numero species tempore constituto solvi debent, quot fuerunt pacto conventæ, sive earum valor extrinsecus sit auctus, sive diminutus. — 19. Quando conventa est certa species monetæ, solutio faciendâ est in eadem specie, nec debitor liberatur, solvendo in alia specie ejusdem valoris, etiamsi adsit consuetudo, ut una species monetæ solvatur pro alia. — 20. Intelligit tamen, quando facile conventa species monetæ inveniri possit; sæcus autem si non reperitur, quo casu solutio fieri potest, et debet per aliam æquivalentem. — 21. Quando quantitas pecuniaria in obligationem deducitur, nulla facta designatione speciei, aut facta quidem, sed numero incerto, vel nulla illius facta æstimatione, tunc, si fiat mutatio extrinseca monetarum, solutio fieri debet secundum valoris currentem tempore solutionis. — 22. Quando valor extrinsecus monetarum crescit in manu depositarii, administratoris, aut conjunctusque similis possessoris, seu alterius pecuniæ custodis, ordinariæ tale augmentum, non ad ipsum, sed ad dominum monetarum pertinet, sicuti ad ipsum pertinet decrementum valoris, si contingat. — 23. Potest licite monetâ purioris materiæ, quamvis ejusdem valoris legalis, commutari cum alia imperfectioris materiæ cum moderato lucro; attentis circumstantiis majoris, vel minoris valoris naturalis utriusque. Et idem dicendum est proportionate de permutatione monetæ cameralis, cum non camerali. — 24. Qui scientia privata scit valoris monetæ esse brevi minuendum, seu monetam esse prohibendam, po-

peude æstimatum; veterum enim tota substantia, ac totum eorum patrimonium in pecudibus repositum erat, omniaque necessaria, fundos, domos, esculenta, poculenta, pecudibus sibi comparabant, iisdem pecudes redimebant; Columella in præfat. lib. VI; Alciat. in lib. *Pecunie* IV, ff. *De verb. significat.*, Calvin., *loc. cit.*, verb. *Pecunia*; unde S. Augustinus relatus, in cap. *Totum* 6, caus. 1, qu. tertia, sic expresse dicit: «Ideo autem pecunia vocata est, quia antiqui totum, quod habebant, in pecoribus habebant.» Et concordat l. *Origo* 1, ff. *De contrah. emptio.*, ibi: «Origo emendi, vendendique a permutationibus cœpit; olim enim non ita erat nummus, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur, sed unusquisque, secundum necessitatem temporum ac rerum, utilibus inutilia permutabat, quando plerumque evenit ut, quod alteri superest, alteri desit. Sed, quia non semper, nec facile concurrebat, ut cum tu haberes, quod ego desiderarem, vicissim haberem, quod tu accipere velles, electa materia est (pecunia nempe, seu nummus), cujus publica, et perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniret: eaque materia forma publica percussa usum dominiumque non tam ex substantia præbet quam ex quantitate; nec ultra merx utramque, sed alterum pretium vocatur.»

(5. Monetæ valor seu æstimatio est duplex, scilicet valor, intrinsecus, seu natura-

(5. Monetæ valor seu æstimatio est duplex, scilicet valor, intrinsecus, seu natura-

lis, et valor extrinsecus, seu legalis. Valor intrinsecus, seu naturalis est ille, qui provenit ex bonitate metalli, vel materiae, ex antiquitate, ex utilitate majori ad commercia humana, ex majori facilitate, qua apud externos acceptatur, et ex aliis capitibus, propter quae solet supra extrinsecum, seu legale valorem plus dari pro tali moneta. Valor extrinsecus, seu legalis est ille, qui a rege publica, seu decreto principis, vel magistratus habentis ad id potestatem cum sigillo, seu signo imponitur, vel taxatur.

(6. Ad justitiam causae monetæ, seu pecuniæ tria omnino requiruntur. *Glossa* communiter recepta in cap. *Quanto* 18, verb. *Patris*, De jurejurand., per textum in l. 1, ff. *De contrahend. emptio*. Primum est legitima cudendi auctoritas, quam etiam signum impressum indicat; secundum est materiae bonitas, seu integritas, id est quod moneta sit tota de ea materia, ex qua esse debet, ut moneta aurea nihil admistum habeat metalli inferioris, et sic de moneta argentea, et aliis; tertium est justum pondus materiae, sicuti signum monetæ indicat.

(7. Jus monetam cudendi est de regalibus: unde soli principes suprema auctoritate gaudentes possunt de jure monetam cudere, lib. II *Feudorum* tit. 57, *Que sint regalia*; et leg. 2, c. *De falsa moneta*, cum similibus.

(8. Alii autem inferiores non nisi ex speciali privilegio id facere possunt. *Communis*.

(9. Princeps mutationem valoris, sive intrinseci, sive extrinseci monetarum facere non potest absque consensu communitatis, vel saltem potioris ejus partis, excepto casu publicæ ac manifestæ necessitatis, ut colligitur clare ex cap. *Quanto* 18, De jurejurando, et tenet communis doctorum, teste Layman, l. III, tract. 3, part. 1, cap. 1, n. 7. Et ratio est, quia per mutationem valoris, sive intrinseci, sive extrinseci monetarum inferitur maximum detrimentum populo, unde id est injustum, nisi ipse populus sponte consentiat; tum quia monetæ usus, et commoditas debet esse publica, et communior, ex c. *Quod omnes* 29, De reg. juris, in 6, ubi habetur expresse: « Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. »

(10. Dicitur autem notanter « Vel saltem potioris ejus partis, » quia in similibus rebus consensus majoris, seu potioris partis alicujus communitatis, v. g. in hoc casu consensus majoris partis magnatum regni dicitur consensus omnium; arg. l. *Quod major*, ff. *Ad municipalem*, cum possibile non sit omnium omnino consensum postulari.

(11. Item notanter dicitur « excepto casu publicæ ac manifestæ necessitatis, » quia ob evidentem causam, seu necessitatem princeps monetæ mutationem facere potest, etiam non requisito populi consensu; Oresmius, tract. *De mutatione monetarum*, cap. 22; Covarr., in *Collat. numismat.*, cap. 7, n. 6; Joannes Faber, institut. *Quibus modis tollitur obligatio princ.*; Layman, loc. cit., n. 7, ubi sic præcise subjungit: « Sed admovent, quod princeps, cessante necessitate, populo compensare debeat damnum, quod

ob pecuniæ mutationem passi sunt. Exempli gratia, si, ingruentibus hostibus, ad bellum necessarium gerendum pecuniæ desint, duobus modis princeps succurrere poterit, ut publico edicto monetarum omnium valor extrinsecus augeatur, vel ut nummi ærei pro argenteis, aut etiam aureis, impresso eodem valoris signo eudantur cum implicito pacto crediti, ita videlicet, ut quicumque, finito bello, tale signum attulerit, ipsi bonus nummus argenteus, vel aureus ex eadem principis officina dandus sit, unde æreus prodierat; quare tale signum, non tam nummi, quam arrhæ, aut tesseræ rationem habebit. » Et de facto sic fuit practicum Melitæ obsidionis tempore, et aderant in monetis verba hæc: « Non æs, sed fides, » attento, quod deinde fuerunt permutatæ, et restitutæ aliæ bonæ materiae, et justiponderis, refert Ursaya, *Instit. crimin.* l. II, tit. 6, n. 185.

(12. Cæterum gravissime peccat princeps, seu magistratus, si ob commodum suum, absque publica necessitate monetarum mutationem introducat, v. g. si bonum monetæ genus reprobet, aut hanniât, atque congregatum conslet, ac postea minus valentem monetam cudi faciât sola lucris sui causa, et hujusmodi, Abbas in c. *Quanto* 18, De jurejurando, n. 11, Gabriel, in 4, dist. 15, part. IX, artic. 3, dub. 1; Majoran., in 4, dist. 19, qu. 38, corollar. 6, et communis aliorum; gravissima enim damna, et incommoda provenire solent ex monetarum mutatione, ut experientia docet, et videri possunt apud Layman, loc. cit., n. 8, et alios passim.

(13. Si monetæ valor mutetur intrinsece, solutio fieri debet ex moneta antiqua, quæ currebat tempore debiti contracti; si vero non inveniatur antiqua, debet fieri ad illius æstimationem, textu expresso in cap. *Cum canonicis* 26, De censibus, et tenet communis doctorum cum Fagnano, lib. III *Decretal.*, in cap. *Olim* 20, De censibus, n. 4, et sequent., et Rota, part. II *Recent. decis.*, dec. 149, n. 11; part. III, decis. 108, n. 1; part. XV, decis. 164, n. 8, et sæpe alibi. (14. Et hoc sive monetæ valor intrinsecus fuerit auctus, sive imminutus. *Communis* cum Fagnano, loc. cit., n. 6, per textum in cit. cap. *Cum olim* 20, et citat. cap. *Cum canonicis* 26, De censibus. (15. Nisi lamen fuerit alterius monetæ solutione legitime præscriptum, ut patet a contrario sensu in cit. cap. *Olim* 20; De censibus, ibi: « Non nisi triginta sex annorum ad plus tempus effluxerit. » Per hoc enim innuit, ut si effluxisset tempus annorum quadraginta, bene præscriptum esset in solutione alterius monetæ. Et sic tenet *Glossa*, *ibidem*, verb. *Non nisi triginta sex*. Innocent., circa finem verb. *Papien.* Abbas antiq. n. 1; Joann. Andreas, n. 10; Fagnan., n. 14 et 15, cum Ancharan., Butrardin., Anania, Castellin., Bald. ibi ab ipso citatis. Unde, si creditor recipiat unam speciem pecuniæ loco alterius longissimo tempore, non cogitur debitor in futurum solvere de pecunia primæ speciei.

(16. Si monetæ valor mutetur extrinsece,

solutio fieri debet secundum ejusdem valoris de tempore solutionis. *Communis*, cum Fagnan., loc. cit., num. 22 et 24, et Rota, part. II *Rec. decis.* dec. 149, n. 11; p. III, decis. 49, n. 1; part. XI, decis. 24, n. 10, et sæpe alibi; et ratio est, quia hoc casu bonitas monetæ intrinseca non mutatur, sed tantum bonitas extrinseca, id est valor. In æstimationem autem valoris inspicitur tempus solutionis, l. *Cum quid*, et l. *Vinum*, ff. *Si certum petatur*, et l. *Paulus*, ff. *De solutionibus*.

(17. Si tamen moneta sit ab initio taxata ad rationem tot librarum, tunc in solutione attendendus est valor taxatus, quia æstimationis facit venditionem; l. *Plerumque* § *Si ante*, ff. *De jure dot.*, l. *Si æstimatis*, et l. *Quoties*, cod. eodem, et ideo reddi et solvi debet illa æstimationis, et non major, vel minor. Bald., concil. 539. « Punctus quæstionis talis est, » vol. II; Boer., decis. 327, n. 10; Fagnan., loc. cit., n. 24 et 25; Rota, part. III *Recent. decis.*, dec. 49, n. 3, part. IX, tom. II; decis. 398, num. 10 et seq., et sæpe alibi.

(18. Quando monetæ species certo numero solvendæ, sunt in pactum deductæ, tunc tot numero species tempore constituto solvi debent, quot fuerunt pacto conventæ, sive earum valor extrinsecus sit auctus, sive diminutus, quia illarum superveniens extrinseca mutatio cedit commodo, vel incommodo creditoris: unde, si Caius dedit mutuo Titio centum duplas eodem numero, et specie restituendas, seu emerit agrum pro centum duplis in specie, et numero solvendis; tunc totidem duplæ in specie et numero sunt solvendæ, non obstante, quod earum valor extrinsecus sit auctus, vel diminutus. *Communis* cum Covarr., *De mutatione monetar.* § unic., conclus. 7; Layman., loc. cit., n. 13. Rota, part. XIV *Recent. decis.*, decis. 504, part. XV, decis. 564, n. 23, et sæpe alibi.

(19. Quando conventa est certa species monetæ, solutio faciendâ est in eadem specie, nec debitor liberatur solvendo in alia specie ejusdem valoris, etiamsi adsit consuetudo, ut una species monetæ solvatur pro alia; unde, si conventum sit, ut solutio fiat in auro, non tenetur creditor recipere monetam argenteam, quamvis probam, et ejusdem, seu æquivalentis valoris; Rota, part. II *Recent. decis.*, dec. 149, n. 4; part. IV, tom. II, dec. 165, n. 1; part. V, tom. II, decis. 141, n. 56; part. XIX, tom. I, dec. 329, n. 1 et 2, et sæpe alibi. Et ratio est, quia « contractus ex conventionem legem accipiunt, » l. 1, § *Si convenerit*, ff. *Depositum*, et regul. Jur. in 6, ibi: « Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur. » — « Et aliud pro alio, invito creditore, solvi non potest; » juxta l. II, § 1, ff. *Si certum petatur*.

(20. Intellige tamen, quando facile, vel cum modica difficultate species monetæ inveniri possit, secus autem, si qualitas promissa, seu conventa moneta non reperitur, vel totaliter abscesserit, seu publice fuerit prohibita, quo casu solutio fieri potest, et

debet per aliam æquivalentem; arg. cap. *Olim* 20, et cap. *Cum canonicis* 26, De censibus; Rota, part. II *Recent. decis.*, dec. 149, n. 5; part. IV, tom. II, dec. 165, n. 2; Annotat. ad dec. 67, n. 52 et seq., part. IX, tom. I, decis. 351, n. 2; part. XIV, et decis. 329, n. 3; part. XIX, tom. I. Vide verb. *Pen-sio* a n. 113 ad 118.

(21. Quando quantitas pecuniaria in obligationem deducitur, nulla facta designatione speciei, aut facta quidem, sed numero incerto, vel nulla illius facta æstimatione, tunc, si fiat mutatio extrinseca monetarum, solutio fieri debet secundum valorem currentem tempore solutionis. Si enim v. gr. Titius det centum scuta Caio cum pacto ut tantundem in bona moneta restituat, vel cum pacto ut ea restituat in auro, vel argento, non expresso numero specierum, tunc, cum talis species monetæ solvendæ adjecta sit causa demonstrationis tantum, et non æstimationis, monetæ valor extrinsecus, sive auctus, sive diminutus currit commodo, vel incommodo debitoris; Rota, part. XVI *Recent. dec.*, dec. 230, n. 5; Fagnan., loc. cit., n. 11; Bald., concil. 407, *Super facto Domini*, n. 1, vers. *In contrarium*, lib. V; Castellin., consil. 35, n. 9; Joann. Faber., institut. *Quibus modis tollitur obligatio*; Tolosan., lib. XXXVI *Syntag.*, cap. 2, n. 27; Frideric. Martini, *De jure cens.*, c. 5, n. 60, etc. 8, n. 59; Mynsinger., centur. 4, observat. 1; Covarr., *De mutatione monet.* § unic., n. 3, in fine, et conclus. 4; Carol. Molin., *De usurar. contract.*, quæst. 92, n. 708; Sotus, lib. VI *De justitia*, quæst. 1, art. 1, et quæst. 12, art. 3; Sylvester, verb. *Solutio*, quæst. 2; Petr. Navarrus, lib. III *De restitut.*, c. 1, n. 259; Toletus, lib. II, c. 34, n. 2; Rebell. p. II, l. XI, q. 13, conclus. ultim.; Filiucius, in *Moral.*, qq., tract. 35, n. 409, verb. *Quinto*; Ludov. Molin., t. II, disp. 312, conclus. 1; Layman., l. c. n. 15; Joann. Medina, *De restitut.*, q. ultim., vers. *Ideo fatentur*; Abbas, in c. *Quanto* 18, De jurejurando, n. 2; Hostiens., *ibidem*; Reiffenst., l. III *Decretal.*, tit. 33, n. 35; Engel, *ibidem*, n. 14, et alii plures contra alios.

(22. Quando valor monetarum extrinsecus crescit in manu depositarii, administratoris, aut cujuscunque similis possessoris, seu alterius pecuniæ custodis, ordinarie tale augmentum non ad ipsum, sed ad dominum monetarum pertinet, sicuti ad ipsum pertinet detrimentum valoris, si contingat. *Communis*; et ratio est clara, quia augmentum, et decrementum extrinsecum est quoddam accidens monetæ, adeoque ejusdem debet esse, cujus est moneta.

(23. Potest licite moneta purioris materiae, quamvis ejusdem valoris legalis, commutari cum alia imperfectioris materiae cum moderato lucro, attentis circumstantiis majoris vel minoris valoris naturalis utriusque; et idem dicendum est proportionate de permutatione monetæ cameralis cum non camerali; Molina, tract. 2, disp. 401, vers. *Dicendum deinde est*; Salas, *De cambiis*,